Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2417
Quelle:
Copyright:

gittae et *Catharinae Senensis*, item Carthusiani cujusdam circa *Confluentiam.*

Quintus Tractatus *fol.* 364. hoc titulo est: *Incipit liber beati Methodii episcopi et martiris episcopi ecclesie paternensis, quem beatus Jeronimus in opusculo virorum illustrium commendauit.* Exemplar graecum *Bibl. Caes.* indicavit *Lambecius* T. IV. p. 201. *edit. Kollar. col.* 444. Latine prodiit cura *Wolfg. Aytingeri Aug. Vindel. per Joh. Froschauer* 1496. 4. quam editionem secutae *Basileensis per Furter*, et *Parisina per Mercatorem* 1498. 4. et aliae; ut adeo mirer *Wolfg. Lazium*, qui in *edit. Vindob.* 1547. 4. Vaticinium istud a se *repertum* adserat. Vide, si lubet, quae ad *Editionem* hanc de Opusculo *Methodio Patarensi* supposito, et ad *Patriarcham Cplitanum* Seculi IX. pertinente in *Wiens Buchdruckergesch.* p. 426. adnotavi.

Codicem nostrum ambiunt Membranae duae *Collectas* quasdam *Hebdomadae sanctae* Sec. ut opinor, XII. exaratas complexae.

DCXXXIII.

49 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 153. f. max. per duas columnas litera crassiuscula exaratus, et auro coloribusque illuminatus complectitur *Arnesti* seu *Ernesti de Pardubicz primi Pragensium Archiepiscopi* an. 1364. ad Superos digressi *Mariale*, seu, ut recentiori *Matthaei Mauchteri* Bibliothecarii Caes. manu praenotatum est, *Librum de praecellentibus et eximiis SS. Dei Genetricis Mariae supra reliquas creaturas prærogatiuis* &c. Praecedit Tabula hoc initio rubro: *Tabule subsequenti. Respondent numeri. per librum scripti equaliter respondentes. literis capitalibus* &c. Opus ipsum sic inchoat: *Exordium salutis nostre dicit Beda fratres karissimi intenta curemus aure percipere* &c. Est vero divisum in VI. *Ordines* scil. *Coelestium Corporum*, *Elementorum*, *Plantarum et Arborum*, *Animantium*, *Artefactorum*, et *Moralium* ita, ut per CL. *Capita* recenseantur Tituli seu adpellationes, quae ex singulis hisce ordinibus *Mariae* conveniunt, puta *Coeli Empyrei*, *Aeris*, *Arboris*, *Apis* &c. eruditione multa, stilo, ut Cl. *Adaucti Voigtii Effigier. Viror. erudit. Bob. et Morav.* P. I. *Pragae.* 1773. *p.* 5. 8. verbis utar, florido, ac supra seculi genium eleganti. Ultima Operis sunt: *et ita per omnes plateas ierusalem in eternum et ultra cantabimus. alleluia. Amen. Amen. Amen.* Fusior quidam *Index* Codicem terminat, cujus fata paucis dabimus. Fuit is quondam *Collegii Canonicorum Reg. Glacensium*, ut adpicta *fol.* 3. illius Insignia testantur. Obtigisse illi in peculium ab ipso *B. Autore*, simulque *fundatore* veri speciem habet. Transierat hinc in Bibliothecam Caes. Pragenam. *Ex Bibliotheca Sac. Caes. Majestatis*